Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26345
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ad usus fratrum. boves decani villae ad arandum. Culcitrae vero et lin
teamina et si qua sunt similia de eisdem oblationibus custodi hospitum
quantum est necesse tribuit camerarius. De cetero ut praemissum est omnia ve
niunt ad manum ipsius camerarii, nec inmerito. nam frequenter accidit,
ut de omnibus rebus annuatim nascentibus parum habeamus ad subsi
dium vitae temporalis, praeter quod denarius est comparandum. Quod cum per
vices eveniat de victu. quicquid ad vestitum pertinet hoc non per vices
sed semper et pene ex toto est comparandum. Quid unicuique fratri singulis annis de vestimento tribuatur.

QUILIBET autem frater assidue debet habere
unum froccum. et si fieri potest duas cucullas. Quibus pa
randis. a quibus et fratres vetera camerarius requirit. ut secundum
ea metiatur nova. Novum pellicium si fieri potest singulis datur
annis. et in festum sancti Michahelis interim dum conventus fuerit ad
prandium ponitur in eorum lectum. Quae pelliciae distributio in ka
merarii solius est arbitrio. Ab ipsis autem quibus dantur vel eque rogatu no
minibus suis sunt ab aliis notanda. Item in festo sancti Martini novi
pedules ad lectos ponuntur. In cena domini autem si fieri potest calciamenta
dantur. et hoc modo. Postquam fratres de ecclesia exierint. super tres perticas sus
pensa a famulis kamerarii in capitulum apportantur. et super iiii.
palos terrae infixos ipsae perticae mittuntur. Postquam autem regulae sen
tentia exposita fuerit. iubente domno abbate consurgit kamerarius
et adiutores ipsius ac per eos ipsa calciamenta erogant. armario et
eius adiutore eligentibus et eas ad manum suggerentibus. Quibus sin
gulis singulorum fratrum nomina in breviculo sunt ascripta et assuta. ex
cepto si qui novitii adveniunt. quorum nomina tunc scribi non possunt.
Ideoque quae illis sunt danda. singulariter sunt suspensa. Accipientes autem
nova. in eadem hora reddunt vetera. bene abluta. si tamen plusquam
unum par diurnalium habet. ut pauperibus dentur. De stamineis